Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



pharisei dicentes. Quare discipuli tui transgrediuntur
traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas cum
panem manducant. Ipse autem respondens ait illis. Quare
et uos transgredimini mandatum dei propter traditionem
uestram? Nam deus dixit. Honora patrem et matrem. et qui
maledixerit patri aut matri morte moriatur. uos autem dici
tis quicumque dixerit patri aut matri munus quod cumque ex
me tibi prodest. et non honorificat patrem suum aut ma
trem suam. et irritum fecistis mandatum dei propter traditionem
uestram. Hypocrite. bene prophauit de uobis ysaias dicens;
Populus hic labijs me honorat. cor autem eorum longe est a me.
sine causa autem colunt me. docentes doctrinas manda
ta hominum. Et conuocans ad se turbas. dixit eis; Audite
et intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominem.
sed quod procedit ex ore. hoc coinquinat hominem. Tunc acce
dentes discipuli eius dixerunt ei. Scis quia pharisei au
dito uerbo scandalizati sunt. At ille respondens ait. Omnis
plantatio quam non plantauit pater meus celestis. eradicabi
tur. Sinite illos ceci sunt duces cecorum. Cecus autem si ceco
ducatum prestet. ambo in foueam cadunt. Respondens autem
petrus dixit. Edisserere nobis parabolam istam. At ille dixit.
Adhuc et uos sine intellectu estis. Non intelligitis quia
omne quod in os intrat. in uentrem uadit. et in secessum
emittitur. que autem procedunt de ore. de corde exeunt. et
ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitatio
nes male. homicidia. adulteria. fornicationes. furta. fal
sa testimonia. blasphemie. hec sunt que coinquinant homi
nem. Non lotis autem manibus manducare non coinqui

nat homines.